

desponsata dictusque rex in maioris amoris vinculum confederavit se nobis per amabilem unionem, promittens nos ipsumque primogenitum et terras nostras nullo unquam tempore offendere vel molestare aut permittere pro suo posse offendi vel ab aliis molestari, quin potius nobis patenter assistere auxilio, consilio et favore, dans et concedens eidem primogenito nostro per totam Ytaliā in omnibus terris imperii vicariam Guelfis videlicet, que per Gueffos olim gubernate fuerunt tempore quondam domini Henrici de Lisimburg, regis Alamanie nominati, subiuncta ordinacione concordī inter eosdem regem et nuncios nostros, ut domicella prefata assignetur instanter gentibus nostris et ipsius primogeniti nostri in civitate Trivisi<sup>1</sup>, deinde in regnum cum comitiva honorabili traducenda. Per que faciente pacis auctore speramus et credimus, quod dicte unionis et confederacionis nexus amabilis nobis nostrisque fidelibus pausam placidam quietis et pacis affert et multa prepedia implicite contencionis elidet. Volumus et fidelitati tue districte iubemus, quatinus statim receptis presentibus in singulis terris et locis decreta tibi provincie, in quibus expedire videris, ad exultacionem nostrorum fidelium nova huiusmodi divulgare studeas vel facias divulgari, exceptis civitatibus infrascriptis, quibus ea notificamus per alias nostras litteras speciales, quarum nomina sunt hec: videlicet Avellinum<sup>2</sup>, Arianum<sup>3</sup>, Aquaputida<sup>4</sup>, Guardia Lombardorum<sup>5</sup>, Frequentum<sup>6</sup>, Apicium<sup>7</sup> et Mons Fuscus<sup>8</sup>.

Dat. Neapoli per Bartholomeum de Capua militem logothetam et prothonotarium regni Sicilie, anno domini M<sup>o</sup>. CCCXVI<sup>o</sup>, die primo Augusti, XIII<sup>o</sup> indictionis, regnorum nostrorum anno VIII<sup>o</sup>.

---

c) *Der Schluß des Mandats von Avellinum ab ist nochgetragen, und zwar offenbar in mehreren Etappen; die mit etwas zittriger Hand geschriebenen Worte per Bartholomeum de Capua militem dürften Autogramm des Kanzlers sein.*

<sup>1</sup>) Treviso.      <sup>2</sup>) Avellino s. Benevent.      <sup>3</sup>) Ariano di Puglia w. Benevent.      <sup>4</sup>) Das heutige Mirabella Eclano sö. Benevent; s. Sthamer a. a. O. S. 104 Anm. 5.      <sup>5</sup>) Guardia Lombardi sw. Melfi.      <sup>6</sup>) Frigento sö. Benevent.      <sup>7</sup>) Apice ö. Benevent.      <sup>8</sup>) Montefusco sö. Benevent.

---